



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Custodia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

A posita erat, visebatur, libidinem nimirum ejus meretricis indicabat. Erat & apud Eleos in templo Veneris simulacrum ejus insidens Arieti, Scopæ, ut Pausanias ait, opus, eique cognomen erat *πρωδημιον*, quod arietinæ procacitati videtur convenire.

VETULIPETA PROCUS. CAP. XXXIII.

N Am quantum ad Arietis libidinem attinet, per eum ita in nequitiam concitatum, hominem, qui vetularum concubitum, assectaretur, nonnulli notandum censuere: quod is primum vetustiores feminas inire consueverit, quarum facta copia novas minime persequatur.

SALUBRITAS. CAP. XXXIV.

Mercurium autem ajunt apud Tanagræos cum Ariete humeris insidente solum effingi, eumque *μεροφάγγη* Pausanias ait appellatum. Erat id partæ salubritatis hieroglyphicum, quandoquidem Mercurius expiatione Arietis, quem circum urbem gestaverit, pestilentiam, quæ Tanagræos invaserat, sustulisse dicitur: in cujus facti memoriam, die ejus festo pulcherrimus quispiam ex Tanagræa juventute delectus, Arietem humeris impositum frequentissima totius civitatis pompa, circum mœnia gestare consueverat.



Mercurius cum Ariete quid.

CUSTODIA. CAP. XXXV.

A pud Corinthios vero Anæum Mercurii simulacrum visebatur, cui Aries adfistebat. Causam fuisse Pausanias dicit, quod Mercurium maxime omnium deorum custodire greges, proventusque ex eis augere persuasum sit. Sedenim cum ita Mercurio sacundia Deo præfidi Aries apponatur, maximumque humana vitæ præsidium sit oratio, ut comici Græci dixerunt, est, minime mirum, si Isocratis Rhetoris sepulcro Aries triginta cubitorum adsculptus fuit, in quo Siren cubitorum septem insideret: nam ea quoque orationis suavitatem indicabat. Et ferunt Astrologi, Mercurium in Ariete collocatum, orationis promptitudinem, & ex tempore dicendi facultatem dare. Sed ne ab Isocratis sepulcro discedamus, prope etiam mensa apposita, quæ Poetas haberet ac ejusdem præceptores, in quibus & Gorgias astronomicam spheram inspectabat, & Isocrates ipse omnifariæ doctrinæ hauriendæ cupidus adfistebat.



HAMMON. CAP. XXXVI.

I N Salonina numo Aries est cum inscriptione, HAMMONI CONS. AUG. Animal enim hoc in veterum sculpturis frequentissimum habetur, præcipueque Hammonem Deum, specie illa sua reciprocicorni (ut Laberii dictum usurpem) significabat. Hunc vulgus Jovem, Ægyptii Solem esse contendebant: cornuaque radios ostentare, de quibus alibi locupletius. Spectare tamen est in Gallieni numo Arietem inscriptione addita, JOVI CONS. AUG. Hammonem vero veteres salutis Deum, uti Latini Jovem a juvando dictum, interpretabantur, exque arietino capite eundem Deum, qui omnium salutis prospiceret, *ἰσοφύμιος* intelligebant. Hecæatus Abderita Ægyptios ait Hammonis voce usos, cum se invicem salute præposita compellarent, allocutoriamque esse vocem, qua boni omnium causa Deum in-

Gallieni numus. De cujus oraculo à Gell. lib 3. c. 3.

D primis ita venerarentur. Isque mos in plerisque nostræ pietatis collegiis observatur, ut quicumque pulnaverit, non prius ad colloquium admittatur, quam ad Virginis Deiparæ salutationem responderit. Cumque veterum mos esset, in mortuorum conditoriis bene detunctis ominari, eos Diis manibus commendabant: alii columnas, quæ sepulcris erigebantur, inscriptionis hujusmodi loco, arietinis capitibus hinc inde adsculptis insignibant, corymbis intermedio propendentibus, qui foliorum & fructuum varietate lascivirent. Sed quod ad Hammonem attinet scriptores rerum parvula quædam cornua in utroque tempore eum habuisse ferunt. Qui vero penitentiorem doctrinam perstrutati sunt, proprium id Jovis nomen apud Ægyptios fuisse tradunt. Alii dicunt arietinum caput ideo Hammonis esse signum, quod is Ægypti rex, præclaris admodum rebus à se gestis, in galea usus sit arietini capitis insigni. Ajunt & cum Herculi illi vetustissimo ad eum visendi studio profecto se olim ostentaret arietino capite, quæ ma-

Hammon arietino capite.